



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina  
Ecclesiae Oeconomia**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1611**

XXXI. De dignitate & vtilitate Apostolicarum & Ecclesiasticarum  
constitutionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

*De Dignitate & vtilitate Apostolicarum & Ecclesiasticarum constitutionum.*

**D**octrinam & opinionem Doctorum secuti supra docuimus Christum per seipsum ea quæ maxime economiam & directionem familie sanctæ Ecclesiæ concernunt instituisse: minus autem principalia dispositioni Apostolorum & successorum per quos vt docet Aug. regenda erat Ecclesia commisit: Modo dicendum est quomodo hanc disponendi ac statuendi authoritatem digne exercuerint, & vtiliter. Cum bono itaque Deo & generatim & speciatim tam scripturarum quam sanctorum Patrum testimonijs hæc demonstrabimus.

*Aug. ep.  
320.*

*Act. 15.*

*1. Cor. 11.*

Ac generaliter quidem notum est S. Petrum ierosolymam concilium conuocasse, atque in eo statuisse ex gentilibus recenter conuersos ad obseruantiam ceremoniarum legis non teneri. Iterum constat S. Paulum absentem

tem multa per litteras circa admini-  
strationem venerabilis Sacramenti  
statuisse, ac tandem subiunxisse, *cetera*  
*cum venero disponam*: Præterea in Ho-  
storij Ecclesiasticis, & scriptis Patrū  
reperimus Petrum & Paulum, alios-  
que Apostolos & eorum successores  
multa circa diuinum cultum statuisse,  
de quorum utilitate nō est, quod quis-  
piam dubitare audeat, nisi totus desi-  
pidus sit in his quæ ad bonum ac salu-  
tem animæ conducunt.

Quod si aliquis obijciat constituti-  
ones Ecclesiasticas esse merè humana *Præor-*  
inuenta, ab ipsa Scriptura refelletur, *patio.*  
quæ docet Prælatos Ecclesie à Spiritu  
sancto edoceri, & regi, institutiones-  
que eorum plus diuinas, quam huma-  
nas esse, scribit enim S. Ioannes Domi-  
num nostrum Iesum Christum ante-  
quam de hoc mundo transfiret ad Pa-  
trem, Apostolis suis Spiritum sanctū  
promisisse, dicens, *Si non abiero Pat-*  
*retur non veniet ad vos, Si autem abiero* *Ioan. 16.*  
*mittam eum ad vos: Cum autem vene-*  
*rit Spiritus ille veritatis docebit vos om-*  
*nem veritatem. Quem autem apud lo-* *Ab. 2.*  
*annem promisit missum esse testatur*

Q 5

Lucas:

Lucas: At verò eundem spiritum etiam successoribus Apostolorum colatum docet S. Bernardus, cum ait, Ecclesia illa, quæ secum habet consilium & Spiritum sp̄si & Dei sui, cui Dilectus iter ubera commoratur, ipsam cordis sedem principaliter possidens, & conservans. Idemque iam antea Irenæus astruxerat, cum diceret, In Ecclesia posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores. & universam reliquam operationum Spiritus cuius non sunt participes omnes, qui non concurrunt ad Ecclesiam, sed semetipsi fraudant à vita per sententiam malam, & operationem pessimam. quasi dicat, Ecclesia eiusque præfecti Spiritum S. receperunt, à quo etiam reguntur ac gubernantur, adeoque constitutiones ac leges, quas ratione officij sibi commissi instituunt, non ipsis solum, verum etiam Spiritui S. imputandæ sunt. Verum quid multis probationibus indigemus, cum ipsi Apostoli satis declarent, quomodo scripta & statuta accipi velint? Audite precor Paulum dicentem, Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: Et alibi, Ego enim accepi à Do-

Serm. 3. in  
Vigil. Na-  
cin.

Iren. l. 3.  
c. 40.

1. Cor. 4.

1. Cor. 11.

mino & tradidi vobis: Neque clarius pro hac re Petrus loqui potuisset, quā cum dixit, *Visum est Spiritui sancti, & nobis*: His enim licet pauculis verbis, aperte significat Spiritum sanctum in Ecclesiasticis congregationibus præsidere, & faciēda ac cauēda inspirare.

Patet itaq; in genere quanta sit dignitas constitutionum Ecclesiasticarum; quanto honore & reuerentia eas suscipere debeamus, quantum Christo obligimur, qui eas per suos Vicarios & locū tenētes nobis proposuit.

*Diuis. constituit. Ecclesiast.*

Si autem quispiam harum constitutionum numerum, & quo quæque nos ordinet scire desiderat: Respōdeo eas in magno quidem numero esse, posse tamen ad quatuor, vel quinque principalia capita reduci, scilicet, Cæremonias sacramentales, & sacrificij Missæ: consecrationem Ecclesiarum, Altarium, calicum, Benedictionem ornamentorum sacerdotalium, panis, aquæ, cinerum, Ramorum, & similiarum: Institutionē Festorum & officiorū diuinorū; deniq; præcepta quædā & statuta disciplinam & Oeconomiam Ecclesiæ cōcernentia. Respōdeo secū-

dō,

D. Tb. p. 3. dō, has constitutiones nos in bonum  
 4. 71. ☉ nostrum spirituale, tam in rebus fidei  
 Zuar. 4. quam in negotijs morum ordinare  
 bid. Probant hoc, & declarant Doctores  
 varijs rationibus; Primò fidei myste-  
 ria altissima sunt, & intellectu difficilia;  
 expediens itaque fuit, vt imbecillitati  
 intellectus humani subveniretur, & per  
 corporales cæremonias in spiritualium  
 cognitionem deveniretur. Nam vt inquit  
 Apostolus, *Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea  
 que facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Secundo  
 cum charitas & devotio in plurimorum  
 pectore refrigerit, ad eam denud excitandam,  
 vtilissimum fuit solemnitatem aliquam  
 cæremoniarum, & celebritatem festorum  
 introduci. Tertio Christiani sepe officij sui  
 penitus obliuiscuntur, ad memoriam itaque  
 reuocandi sunt, & in viam debitæ præceptis,  
 ac statutis reducendi, imò pœnis ac censuris  
 cogendi sunt.

His itaque rationibus subnixi Doctores  
 manifestè declarant institutiones Ecclesiæ  
 haud vanas esse, aut merè humanas, neque  
 de earum numero quas Christus reprehendit  
 cum ait,

*Sine causa colunt me, docentes manda-  
ta & doctrinas hominum. Nō enim hic  
sanctas, & pias Traditiones, quas à  
Moysē acceperant præter legem: sed  
illas supersticiosas, & impias quas cō-  
tra legem de suo cerebro scribæ, &  
Pharisei inuexerant, vt ex Textu pa-  
ret: Vnde Augustinus ait, Quod neque  
contra fidem, neque bonos mores iniun-  
gitur, indifferenter est habendum. & pro  
eorum inter quos viuitur societate ser-  
uandum: & alibi, Quæ non sunt contra  
fidem neque contra bonos mores, & ha-  
bent aliquid ad exhortationem vitæ me-  
lioris, vbiunque institui videmus, vel  
institutæ cognoscimus: non solum non im-  
probemus, sed etiam laudando & imitā-  
do sectemur. Cui Origenes suffragatur,  
adiiciens tales consuetudines etiam  
opere complendas, cum de ratione  
institutionis nobis constiterit: Quod  
verissimum est, nam nobis satis esse  
debet, quod mater nostra Ecclesia, quæ  
nunquam nos decipit, aut decipere  
potest, eas receperit & approbarit.  
Ambabus itaque vlnis, cum omni re-  
uerentia has constitutiones amplexemur,  
& spiritui sancto, qui eas inspi-*

Aug. ep.  
118. ad 17.

ep. 119. c.  
18.

rauit ex imis præcordijs gratias agamus: Vt autem ad hoc faciendum vehementius excitemur, in particulari harum constitutionum utilitatem & dignitatem contemplemur.

CAPVT TRIGESIMVM  
SECYNDVM.

*Quanto bono & ornamento Ecclesie sint sue ceremonie.*

**P**rima classis constitutionum Ecclesiasticarum, ceremonias concernit, quæ nihil aliud sunt, quam actiones quædam exteriores, & religiose ad cultum diuinum, & spirituale animæ profectum ordinatæ. Omnia autem cæteris, de ijs solû agemus, quæ ad solemnitatē Sacramentorû, & Sacrificij Missæ exornandâ sunt instituta: Neq; tamen has omnes, quod longum nimis foret, sed earum præcipuas pertractabimus.

Inter quas primæ sunt, quæ in Baptismo adhibentur; eæque in duplici differentia, quædam enim ad instructionem baptisandi, aliæ ad exercisandum

*D. Thom.  
p. 3. q. 71.*

*Ceremonie Baptismi.*